Carmen Paschale (Latin)

Sedulius (fl. AD 425–450)

SermonIndex.net / Church Fathers

Carmen Paschale

Sedvlii Paschalis Carminis Praefatio
Paschales quicumque dapes conuiua requiris,
Dignatus nostris accubitare toris,
Pone supercilium si te cognoscis amicum,
Nec quaeras opus hic codicis artificis:
Sed modicae contentus adi sollemnia mensae
Plusque libens animo quam satiare cibo.
Aut si magnarum caperis dulcedine rerum
Diuitiasque magis deliciosus amas,
Nobilium nitidis doctorum uescere cenis,
Quorum multiplices nec numerantur opes.
Illic inuenies quidquid mare nutrit edendum,
Quidquid terra creat, quidquid ad astra uolat.
Cerea gemmatis flauescunt mella canistris
Conlucentque suis aurea uasa fauis.
At nos exiguum de paupere carpsimus horto,
Rubra quod adpositum testa ministrat, holus.

Liber Primvs
Cum sua gentiles studeant figmenta poetae
Grandisonis pompare modis, tragicoque boatu
Ridiculoue Geta seu qualibet arte canendi
Saeua nefandarum renouent contagia rerum
Et scelerum monumenta canant, rituque magistro
Plurima Niliacis tradant mendacia biblis:
Cur ego, Dauiticis adsuetus cantibus odas
Cordarum resonare decem sanctoque uerenter
Stare choro et placidis caelestia psallere uerbis,
Clara salutiferi taceam miracula Christi?
Cum possim manifesta loqui, Dominumque tonantem
Sensibus et toto delectet corde fateri:
Qui sensus et corda dedit, cui conuenit uni

Facturam seruire suam, cui iure perenni
Arcibus aetheriis una est cum patre potestas,
Par splendor, communis apex, sociale cacumen,
Aequus honor, uirtus eadem, sine tempore regnum,
Semper principium, sceptrum iuge, gloria consors,
Maiestas similis. haec est uia namque salutis,
Haec firmos ad dona gradus paschalia ducit.
Haec mihi carmen erit: mentes hac uertite cuncti.
Hanc constanter opem laesis adhibete medullis,
Quos letale malum, quos uanis dedita curis
Attica Cecropii serpit doctrina ueneni,
Sectantesque magis uitam spirantis odorem
Legis Athenaei paedorem linquite pagi.
Quid labyrintheo, Thesidae, erratis in antro.
Caecaque Daedalei lustratis limina tecti?
Labruscam placidis quid adhuc praeponitis uuis
Neglectisque rosis saliuncam sumitis agri?
Quid lapides atque aera coli, quid fana profana
Proderit et mutis animas damnare metallis?
Parcite puluerei squalentia iugera campi
Et steriles habitare plagas, ubi gignere fructum
Arida nescit humus, nec de tellure cruenta
Liuida mortiferis uellatis toxica sucis,
Tartareo damnata cibo: sed amoena uirecta
Florentum semper nemorum sedesque beatas
Per latices intrate pios, ubi semina uitae
Diuinis animantur aquis et fonte superno
Laetificata seges spinis mundatur ademptis,
Vt messis queat esse Dei mercisque futurae
Maxima centenum cumulare per horrea fructum.
Omnipotens aeterne Deus, spes unica mundi,
Qui caeli fabricator ades, qui conditor orbis,
Qui maris undisonas fluctu surgente procellas
Mergere uicinae prohibes confinia terrae,
Qui solem radiis et lunam cornibus imples
Inque diem ac noctem lumen metiris utrumque,
Qui stellas numeras, quarum tu nomina solus,
Signa, potestates, cursus, loca, tempora nosti,
Qui diuersa nouam formasti in corpora terram
Torpentique solo uiuentia membra dedisti,
Qui pereuntem hominem uetiti dulcedine pomi
Instauras meliore cibo potuque sacrati

Sanguinis infusum depellis ab angue uenenum,
Qui genus humanum praeter quos clauserat arca
Diluuii rapida spumantis mole sepultum
Vna iterum de stirpe creas, ut mystica uirtus,
Quod carnis delicta necant, hoc praesule ligno
Monstraret liquidas renouari posse per undas,
Totum namque lauans uno baptismate mundum:
Pande salutarem paucos quae ducit in urbem
Angusto mihi calle uiam uerbique lucernam
Da pedibus lucere meis, ut semita uitae
Ad caulas me ruris agat, qua seruat amoenum
Pastor ouile bonus, qua uellere praeuius albo
Virginis agnus ouis grexque omnis candidus intrat.
Te duce difficilis non est uia; subditur omnis
Imperiis natura tuis, rituque soluto
Transit in aduersas iussu dominante figuras.
Si iubeas mediis segetes arere pruinis,
Messorem producit hiems; si currere mustum
Vernali sub sole uelis, florentibus aruis
Sordidus inpressas calcabit uinitor uuas:
Cunctaque diuinis parebunt tempora dictis.
Indicio est antiqua fides et cana priorum
Testis origo patrum, nullisque abolenda per aeuum
Temporibus constant uirtutum signa tuarum.
Ex quibus audaci perstringere pauca relatu
Vix animis conmitto meis, siluamque patentem
Ingrediens aliquos nitor contingere ramos.
Nam centum licet ora mouens uox ferrea clamet
Centenosque sonos humanum pectus anhelet,
Cuncta quis expediet, quorum nec lucida caeli
Sidera nec bibulae numeris aequantur harenae?
Primus abusque chao meritis uiuacibus Enoch
Multa per innumeros iam saecula contigit annos
Natura perdente modum: quem iure creandi
Terra tulit genitum, sed mors miratur ademptum.
Saucia iam uetulae marcebant uiscera Sarrae
Grandaeuo consumpta situ, prolemque negabat
Frigidus annoso moriens in corpore sanguis:
Cum seniore uiro gelidi praecordia uentris
In partum tumuere nouum tremebundaque mater
Algentes onerata sinus, spem gentis opimae
Edidit et serum suspendit ad ubera natum.

Mactandumque Deo pater obtulit, at sacer ipsam
Pro pueri iugulis aries mactatur ad aram.
0 iusti mens sancta uiri! pietate remota
Plus pietatis habens contempsit uulnera nati
Amplexus praecepta Dei, typicique cruoris
Auxilio uentura docet, quod sanguine Christi
Humana pro gente pius occumberet agnus.
Loth Sodomae fugiente chaos, dum respicit uxor,
In statuam mutata salis stupefacta remansit,
Ad poenam conuersa suam: quia nemo retrorsum,
Noxia contempti uitans discrimina mundi,
Aspiciens saluandus erit, nec debet arator
Dignum opus exercens uultum in sua terga referre.
Ignibus innocuis flagrans apparuit olim
Non ardens ardere rubus, nec iuncta calori
Materies alimenta dabat, nec torrida uiuens
Sensit damna frutex, sed amici fomitis aestu
Frondea blanditae lambebant robora flammae.
Mitis in inmitem uirga est animata draconem,
Per flexos sinuata globos linguisque trisulcis
Squamea colla tumens inimicos ore chelydros
Sorbuit et proprii redit in uirgulta rigoris.
Peruia diuisi patuerunt caerula ponti
In geminum reuoluta latus, nudataque tellus
Cognatis spoliatur aquis, ac turba pedestris
Intrat in absentis pelagi mare, perque profundum
Sicca peregrinas stupuerunt marmora plantas.
Mutauit natura uiam, mediumque per aequor
Ingrediens populus rude iam baptisma gerebat,
Cui dux Christus erat, clamat nam lectio: multas
Vox Domini super extat aquas; uox denique uerbum est.
Verbum Christus adest, geminae qui consona legis
Testamenta regens ueterem patefecit abyssum,
Vt doctrina sequens planis incederet aruis.
Quid referam innumeras caelesti pane cateruas
Angelicos sumpsisse cibos, nimbisque superni
Nectaris aeria populum dulcedine pastum
In pluuiis habuisse dapes et in imbribus escas?
Bursus in exustis sitiens exercitus aruis,
Qua nimium loca sicca, diu qua terra negatis
Aegra iacebat aquis, qua spes ablata bibendi
Viuendique fuit, subitas arente metallo

Hausit aquas, sterilique latex de rupe manauit,
Et ieiuna nouum uomuerunt marmora potum.
His igitur iam sacra tribus dans munera rebus,
Christus erat panis, Christus petra, Christus in undis.
Angelicis tremefacta minis adfatur asella
Sessorem per uerba suum, linguaque rudenti
Edidit humanas animal pecuale loquellas.
Sol stetit ad Gabaon mediique cacumine caeli
Fixit anhelantem dilato uespere lucem,
Insolitus frenare diem, nec luna cucurrit
Ordine pigra suo, donec populantibus armis
Feruidus ingentem gladius consumeret hostem
Coniurante polo: iam tunc famulata uidebant
Sidera uenturum praemisso nomine Iesum.
Heliam corui quondam pauere ministri
Praebentes sine more dapes, alesque rapinis
Deditus atque auido saturans caua guttura rostro
Tradidit inlaesam ieiunis morsibus escam.
Nunc bonus Heliae, qui perfidus antea Noe,
Abluit in terris quidquid deliquit in undis.
Plenus at ille Deo postquam miracula terris
Plura dedit meritisque suis succedere dignum
Heredem propriae fecit uirtutis amicum,
Aurea flammigeris euectus in astra quadrigis,
Qua leuis aerios non exprimit orbita sulcos,
Sidereum penetrauit iter curruque corusco
Dexteriora petens spatio maiore triumphum
Duxit et humani metam non contigit aeui.
Quam bene fulminei praelucens semita caeli
Conuenit Heliae! meritoque et nomine fulgens
Hac ope dignus erat: nam si sermonis Achini
Vna per accentum mutetur littera, sol est.
Vltima labentis miseratus tempora lucis
Ter quinos quondam regi Deus addidit annos
Vsus iure suo, patefactaque limina claudens
Mortis ab occasu uitam conuertit in ortum.
Ionas puppe cadens, coeto sorbente uoratus
In pelago non sensit aquas, uitale sepulchrum
Ne moreretur habens, tutusque in uentre ferino
Depositum, non praeda fuit, uastumque per aequor
Venit ad ignotas inimico remige terras.,
Cum spirante Deo Babylonia sacra negarent

Tres una cum mente uiri durumque subirent
Exitium saeui Chaldaea lege tyranni,
Cuius Achaemeniam rabies accenderat iram
Plus fornace sua: medios truduntur in ignes
Nil audente rogo, tantumque ardore calentes
Cordis imagineae uincunt incendia poenae
Igne animi. o quanta est credentum gloria! flammis
Ardentis fidei restincta est flamma camini.
Digna sed inmitem mox perculit ultio regem.
Nam quod ab humana uecors pietate recessit,
Agrestes pecudum consors fuit ille per herbas
Aulica depasto mutans conuiuia faeno.
Pronus ab amne bibit, septenaque tempora lustrat
Omnibus hirsutus siluis et montibus errans.
Nec minus et Darii furuerunt iussa tyranni,
Hebraeumque decus Danihel decernitur insons
Ieiunis cibus esse feris. sed belua iusto
Mitis facta uiro, sanctos ne laederet artus,
Coepit amare famem; rabies mollita furorem
Deposuit saeuisque in faucibus ira quieuit,
Et didicere truces praedam seruare leones.
Dic ubi sunt, natura, tuae post talia leges,
Qui totiens tibi iura tulit? qui tartara iussit
Translatum nescire uirum, sterilemque marito
Fecundauit anum, sacram praecepit ad aram
Sponte uenire pecus, muliebres transtulit artus
In simulacra salis, ramos incendia passos
Non ardere dedit, uirgultum soluit in anguem,
Per pelagus siccauit iter, mirabile nimbis
Manna pluit, saxo latices produxit ab imo,
Quadrupedem fari plano sermone coegit,
Suspensis rapidas elementis distulit horas,
Per uolucres hominem pasci dedit atque coruscis.
In caelum transuexit equis, iam morte grauato
Adiecit tria lustra uiro, praedonis in ore
Naufragio fundauit opem, flagrante camino
Seruauit sub rore pios, per pascua regem
Pauit ut hirsutam pecudem, rictusque leonum
Instimulante fame iussit nescire furorem?
Nempe creatori, cuius quaecumque uidentur
Seu quaecumque latent et rerum machina sermo est,
Omne suum famulatur opus sequiturque iubentis

Imperium quacumque trahit sententia nutu.
Heu miseri, qui uana colunt, qui corde sinistro
Religiosa sibi sculpunt simulacra suumque
Factorem fugiunt et quae fecere uerentur!
Quis furor est ? quae tanta animos dementia ludit,
Vt uolucrem turpemque bouem tortumque draconem
Semihominemque canem supplex homo plenus adoret ?
Ast alii solem caecatis mentibus acti
Adfirmant rerum esse patrem, quia rite uidetur
Clara serenatis infundere lumina terris
Et totum lustrare polum: cum constet ab istis
Motibus instabilem rapidis discursibus ignem
Officium, non esse Deum, quique ordine certo
Nunc oritur, nunc occiduas dimissus in oras
Partitur cum nocte uices. nec semper ubique est
Nec lumen fuit ille manens in origine mundi,
Cum geminum sine sole diem nouus orbis haberet.
Sic lunae quoque uota ferunt, quam crescere cernunt
Ac minui, stellisque litant quae luce fugantur.
Hic laticem colit, ille larem, sed iungere sacris
Non audent inimica suis, ne lite propinqua
Aut rogus exiguas desiccet fortior undas,
Aut ualidis tenues moriantur fontibus ignes.
Arboreis alius ponit radicibus aras
Instituitque dapes et ramos flebilis orat,
Vt natos caramque domum dilectaque rura
Coniugiique fidem, famulos censumque gubernent.
Lignee, ligna rogas, surdis clamare uideris,
A mutis responsa petis, quae iura domorum
Hac ratione regunt, si caesa securibus actis
Ardua pendentis sustentent culmina tecti,
Aut subiecta focis dapibus famulentur edendis.
Nonnulli uenerantur holus mollesque per hortos
Numina sicca rigant uerique hac arte uidentur
Transplantatorum cultores esse deorum.
Plura referre pudet, sanctoque in carmine longum
Vel damnare nefas, ne mollia sentibus uram
Lilia, purpurei neu per uiolaria campi
Carduus et spinis surgat paliurus acutis.
Iam satis humanis erroribus addita monstra
Risimus aut potius tales defleuimus actus.
Nunc coeptam iuuat ire uiam montemque per altum

Nitentes firmare gradus; properemus in urbem,
Libertatis opem, radians ubi regia fuluis
Emicat aula tholis, ubi dantur digna petenti,
Quaerentem spes certa manet, claustrisque remotis
Peruia pulsanti reserantur limina cordi.
Hic est ille lapis, reprobum quem uertice gestat
Angulus atque oculis praebet miracula nostris:
Cuius onus leue est, cuius iuga ferre suaue est.
Per digesta prius ueteris miracula legis
Rettulimus, sancti coniuncto Spiritus actu
Quae Genitor socia Nati uirtute peregit.
Per digesta rudis necnon miracula legis
Dicemus, sancti coniuncto Spiritus actu
Quae Natus socia Patris uirtute peregit,.
Semper ut una manens deitatis forma perennis
Quod simplex triplicet quodque est triplicabile simplet.
Haec est uera fides; hanc spreuit habere salutem
Arrius infelix, qui curua per auia rectum
Flectere nisus iter, foueam dilapsus in atram
Conruit et tetri mersus petit ima profundi:
Tam uacuus sensu, iustae quam tempore poenae
Visceribus fusis uacuus quoque uentre remansit.
Demens, perpetui qui non imitanda parentis
Iura caducorum gradibus simulauit honorum!
Namque homines inter natum genitore minorem
Lex carnalis habet, quoniam pater ipse parentis
Filius ante fuit, mox et qui filius est nunc
Adforet esse pater: sic per genus omne nepotum
It noua progenies et aui numerantur auorum.
At Dominus, uerbum, uirtus, sapientia, Christus,
Et totum commune Patris, de lumine lumen,
De solo solus, cui nec minus est Patre quicquam,
Nec quo crescat habet, genitus, non quippe creatus:
Ipse est principium. nam sicut clarus habetur
In genitore manens, genitor quoque clarus in ipso
Permanet, et rerum caput est Deus unus ubique.
Non quia qui summus Pater est, et Filius hic est,
Sed quia quod summus Pater est, et Filius hoc est.
Sic ait ipse docens: ego in Patre et Pater in me.
Rursus: ego atque Pater unum sumus. Arrius unum
Debet scire sumusque Sabellius esse fatendum.
Iste fidem ternam, hic non amplectitur unam:

Ambo errore pares, quamquam diuersa sequentes.
Qualiter adsueti uarias producere sectas
Inpugnant sua dicta uiri, qui brachia nudis
Ostendunt exerta umeris, nil tradere docti
Sed tantum certare cati, prudentia quorum
Stulta iacet, quia uana Deo est sapientia mundi.
Hic loquitur nimis, ille tacet; hic ambulat, hic stat;
Alter amat fletus, alter crispare cachinnum:
Diuersisque modis par est uesania cunctis.
Interea dum rite uiam sermone leuamus
Spesque fidesque meum comitantur in ardua gressum,
Blandius ad summam tandem peruenimus arcem.
En signo sacrata crucis uexilla coruscant,
En regis pia castra micant, tuba clamat erilis,
Militibus sua porta patet: qui militat intret,
Ianua uos aeterna uocat, quae ianua Christus.
Aurea perpetuae capietis praemia uitae,
Arma quibus Domini tota uirtute geruntur
Et fixum est in fronte decus. Decus armaque porto
Militiaeque tuae, bone rex, pars ultima resto.
Hic proprias sedes, huius mihi moenibus urbis
Exiguam concede domum, tuus incola sanctis
Vt merear habitare locis alboque beati
Ordinis extremus conscribi in saecula ciuis.
Grandia posco quidem, sed tu dare grandia nosti,
Quem magis offendit quisquis sperando tepescit.
Christe, faue uotis, qui mundum in morte iacentem
Viuificare uolens quondam terrena petisti
Caelitus, humanam dignatus sumere formam,
Sic aliena gerens, ut nec tua linquere posses.
Hoc Matthaeus agens hominem generaliter implet,
Marcus ut alta fremit uox per deserta leonis,
Iura sacerdotii Lucas tenet ore iuuenci,
More uolans aquilae uerbo petit astra Iohannes.
Quatuor hi proceres una te uoce canentes
Tempora ceu totidem latum sparguntur in orbem.
Sic et apostolici semper duodenus honoris
Fulget apex numero, menses imitatus et horas,
Omnibus ut rebus totus tibi militet annus.
Hinc igitur ueteris recolens exordia mortis
Ad uitam properabo nouam lacrimasque serendo
Gaudia longa metam: nam qui deflemus in Adam

Semina mittentes, mox exultabimus omnes
Portantes nostros Christo ueniente maniplos.

Liber Secvndvs

Expulerat primogenitum saeuissimus anguis
Florigera de sede uirum blandique saporis
Inlecebris letum misero portarat amarum.
Nec solus meritam praesumptor senserat iram
Mortali sub lege iacens, sed prorsus ab ipso
Humanum simul omne genus. heu, noxia coniux!
Noxia tu coniux magis an draco perfidus ille?
Perfidus ille draco, sed tu quoque noxia coniux.
Pro dolor! aeterni fuerant duo. crescere posquam
Coepit origo, perit clademque a semine sumpsit.
Quid numerosa dies, quid tempore proderat illo
Cernere nongentos ultra feliciter annos
Progeniemque senum decimam spectare nepotum
Iamque suum nescire genus: cum uicta supremis
Cursibus extremae sors inreparabilis horae,
Sera licet, uentura foret longumque per aeuum
Vita breuis nihil esse diu cum fine doleret?
Nec reducem spes ferret opem primique sepulchrum
Terrigenae caeca sorberet lance nepotes:
Ni pius ille sator culpas ignoscere promptus,
Reddere difficilis, sua ne factura periret
Quaeque Deo similis uiuens adstaret imago
Dissimilis de morte foret, ueniale misertus
Instauraret opus pomisque uetaret acerbis,
Quae mandere patres, natorum horrescere dentes
Donaretque suis semper placatus, ut unde
Culpa dedit mortem, pietas daret inde salutem,
Et uelut e spinis mollis rosa surgit acutis
Nil quod laedat habens matremque obscurat honore:
Sic Euae de stirpe sacra ueniente Maria
Virginis antiquae facinus noua uirgo piaret:
Vt quoniam natura prior uitiata iacebat
Sub dicione necis, Christo nascente renasci
Possit homo et ueteris maculam deponere carnis.
Haec uentura senes posquam dixere prophetae, Angelus intactae cecinit properata Mariae:
Et dictum comitata fides, uterumque puellae
Sidereum mox implet onus, rerumque creator
Nascendi sub lege fuit. stupet innuba tensos

Virgo sinus gaudetque suum paritura parentem.
Iamque nouem lapsis decimi de limine mensis
Fulgebat sacrata dies, cum uirgine feta
Promissum conpleuit opus: uerbum caro factum,
In nobis habitare uolens. tunc maximus infans
Intemerata sui conseruans uiscera templi
Inlaesum uacuauit iter: pro uirgine testis
Partus adest, clausa ingrediens et clausa relinquens.
Quae noua lux mundo, quae toto gratia caelo?
Quis fuit ille nitor, Mariae cum Christus ab aluo
Processit splendore nouo? uelut ipse decoro
Sponsus ouans thalamo, forma speciosus amoena
Prae filiis hominum, cuius radiante figura
Blandior in labiis diffusa est gratia pulchris.
O facilis pietas! ne nos seruile teneret
Peccato dominante iugum, seruilia summus
Membra tulit Dominus, primique ab origine mundi
Omnia qui propriis uestit nascentia donis.
Obsitus exiguis habuit uelamina pannis;
Quemque procellosi non mobilis unda profundi,
Terrarum non omne solum, spatiosaque lati
Non capit aula poli, puerili in corpore plenus
Mansit et angusto Deus in praesepe quieuit.
Salue, sancta parens, enixa puerpera regem,
Qui caelum terramque tenet per saecula, cuius
Nomen et aeterno conplectens omnia gyro
Imperium sine fine manet; quae uentre beato
Gaudia matris habens cum uirginitatis honore
Nec primam similem uisa es nec habere sequentem:
Sola sine exemplo placuisti femina Christo.
Tunc prius ignaris pastoribus ille creatus
Enituit, quia pastor erat, gregibusque refulsit
Agnus et angelicus cecinit miracula coetus.
Talia Bethlois dum signa geruntur in oris,
Eoi uenere magi saeuumque tyrannum
Grandia sollicitis perturbant nuntia dictis:
Iudaicis nuper populis orientis ab axe
Progenitum fulsisse ducem, hoc caelitus astra,
Hoc stellam radiare nouam. ferus arbiter aulae
Aestuat Hebreae ratus hunc succedere posse
Mox sibimet, qui primus erat: tunc fronte serena
Nubila mentis alens clam mandat ubique requiri

Sicut adorandum, quem tractat fraude necandum.
Quid furis, Herodes? Christum sermone fateris,
Et sensu iugulare cupis, legemque legendo
Neglegis et regi regum tua regna minaris.
Ne tamen insano careant tua nomina facto,
Patrandum sub honore crucis (sed crimine gentis)
Herodes alius quod tu molire uidebit.
Ergo alacres summo seruantes lumina caelo
Fixa magi sidusque micans regale secuti
Optatam tenuere uiam, quae lege futura
Duxit adorantes sacra ad cunabula gentes.
Thensaurisque simul pro religione solutis,
Ipsae etiam ut possint species ostendere Christum,
Aurea nascenti fuderunt munera regi,
Tura dedere Deo, myrram tribuere sepulchro.
Cur tria dona tamen? quoniam spes maxima uitae est
Hunc numerum confessa fides, et tempora summus
Cernens cuncta Deus, praesentia, prisca, futura,
Semper adest semperque fuit semperque manebit
In triplici uirtute sui. tunc caelitus illi
Per somnum moniti contemnere iussa tyranni
Per loca mutati gradientes deuia callis
In patriam rediere suam. sic nos quoque sanctam
Si cupimus patriam tandem contingere, posquam
Venimus ad Christum, iam non repetamus iniquum.
Ergo ubi delusum se conperit, impius iram
Rex aperit (si iure queat rex ille uocari,
Qui pietate caret, propriam qui non regit iram)
Ereptumque gemens facinus sibi, ceu leo frendens,
Cuius ab ore tener subito cum labitur agnus,
In totum mouet arma gregem manditque trahitque
Molle pecus, trepidaeque uocant sua pignera fetae
Nequiquam et uacuas implent balatibus auras:
Haut secus Herodes Christo stimulatus adempto
Sternere conlisas paruorum strage cateruas
Inmerito non cessat atrox. quo crimine simplex
Turba perit? cur qui uixdum potuere creari
Iam meruere mori? furor est in rege cruento,
Non ratio; primosque necans uagitus et audens
Innumerum patrare nefas puerilia mactat
Milia plangoremque dedit tot matribus unum.
Haec laceros crines nudato uertice rupit,

Illa genas secuit, nudum ferit altera pugnis
Pectus et infelix mater (nec iam modo mater)
Orba super gelidum frustra premit ubera natum.
Quis tibi tunc, lanio, cernenti talia sensus?
Quosue dabas fremitus, cum uulnera feruere late
Prospiceres arce ex summa uastumque uideres
Misceri ante oculos tantis plangoribus aequor?
Extinctisque tamen quamuis infantibus absens,
Praesens Christus erat, qui sancta pericula semper
Suscipit et poenas alieno in corpore sentit.
Ast ubi bis senos aetatis contigit annos,
Hoc spatium de carne trahens, aeuique meatus
Humana pro parte tulit, senioribus esse
Corde uidebatur senior legisque magistros
Inter ut emeritus residebat iure magister.
Nec mora (quas etenim uolitans per tempora mundus
Nouit habere moras?) usus maiore iuuenta,
Sex quasi lustra gerens placidam Iordanis ad undam
Venit ut acciperet hoc, quod dare uenerat ipse.
Hunc Baptista potens ut uidit ab amne Iohannes,
Quem matris dum uentre latet nondumque creatus
Senserat obstruso iam tunc sermone prophetes
Vt muto genitore fluens, cui munera linguae
Post noni taciturna diu spiramina mensis
Parto redduntur nato, mox praedicat: agnus
Ecce Dei ueniens peccatum tollere mundi.
Tollere cum dicit quod non habet, hoc mihi tollit:
Non mala ut ipse gerat, sed ut ipse nocentia perdat.
Qualiter in medias cum lux praeclara tenebras
Funditur et proprium non obfuscata serenum
Decutit expulsas inlaesis uultibus umbras,
Sic delicta fugans Saluator nostra gerendo
Tersit et adtactu procul euanescere iussit.
Tunc uada torrentum simplex ingressus aquarum,
In se cuncta lauat nostrae contagia uitae
Ipse nihil quod perdat habens, sanctoque liquentes
Corpore mundauit latices famamque beauit
Gurgitis et propriis sacrauit flumina membris.
Senserunt elementa Deum, mare fugit, et ipse
Iordanis refluas cursum conuertit in undas.
Namque propheta canens: quidnam est, mare, quod fugis, inquit,
Et tu, Iordanis, retro quia subtrahis amnem?

Ergo ubi flumineum post mystica dona lauacrum
Egrediens siccas Dominus calcauit harenas,
Confestim patuere poli, sanctusque columbae
Spiritus in specie Christum uestiuit honore
Mansuetumque docet multumque incedere mitem
Per uolucrem quae felle caret, Natoque uocato
Voce Patris triplici Deus ex ratione probatur,
Quod Pater et Natus, quod Spiritus est ibi sanctus,
Quo manet indignus qui non numerauerit unum.
Inde quater denis iam noctibus atque diebus
Ieiunum dapibus, sacro Spiramine plenum .
Insidiis temptator adit doctusque per artem
Fallaces offerre dapes: si filius, inquit,
Cerneris esse Dei, dic ut lapis iste repente
In panis uertatur opem, miracula tamquam
Haec eadem non semper agat, qui saxea terrae
Viscera frugiferis animans fecundat aristis
Et panem de caute creat. hac ergo repulsus
Voce prius hominem non solo uiuere pane
Sed cuncto sermone Dei, labefactus et amens,
Altera uipereis instaurans arma uenenis
Cum Domino montana petit cunctasque per orbem
Regnorum monstrauit opes: haec omnia, dicens,
Me tribuente feres, si me prostratus adores.
Quantum peruersus, tantum peruersa locutus:
Scilicet ut fragilis regna adfectaret honoris
Qui populis aeterna parat, monstrumque nefandum
Pronus adoraret, cuius super aethera sedes,
Terra pedum locus est, quem nullus cernit et omnis
Laudat in excelsis submissa uoce potestas.
Christus ad haec: tantum Dominum scriptura Deumque
Iussit adorari et soli famularier uni.
His quoque deficiens congressibus audet iniquus
Ter sese adtollens animo perstare superbo,
Terque uolutus humo fragili confidere bello.
Tunc adsumpsit eum sanctam sceleratus in urbem,
Et statuens alti supra fastigia templi:
Si natum genitore Deo tete adseris, inquit,
Inpiger e summo dilapsus labere tecto.
Nam scriptura docet de te mandasse Tonantem,
Angelicis subuectus eas ut tutior ulnis,
Ad lapidem ne forte pedem conlidere possis.

O quam caeca gerit nigro sub pectore corda
Mens tenebris obscura suis! hunc ardua templi
Culmina et erectae quamuis fastigia pinnae
Credidit in praeceps horrescere, maxima summi
Curuauit qui membra poli caelosque per omnes
Vectus in extremae discendit humillima terrae,
Inferiora petens et non excelsa relinquens.
Dixerat, et ualidi confossus cuspide uerbi,
Quod temptare suum Dominumque Deumque nequiret,
Victoris fugit ora gemens. tunc hoste repulso
Caelicolae adsistunt proceres coetusque micantes,
Angelici Christo famulantur rite ministri.
Protinus ergo uiros ex piscatoribus aptos Humanas piscari animas, quae lubrica mundi
Gaudia sectantes tamquam uaga caerula ponti
Caecaque praecipites tranant incerta profundi,
Discipulos iubet esse suos talesque supernae
Conciliat uitae, quos non uentosa loquendi
Gloria nec uana de nobilitate superbus
Sanguis alat sed fama tacens, humilique refulgens
Mente nitor caelo faciat de plebe propinquos.
Namque stulta potens elegit et infima mundi
Fortia confringens Deus et sapientia perdens.
Quin etiam celerem cupiens conferre salutem
Orandi praecepta dedit, iudexque benignus
Indulgenda peti breuiter iubet, ut cito praestet,
Sic dicens: orate patrem, baptismate nostrum,
Iure suum; propriumque homini concessit honorem
Et quod solus habet cunctos permisit habere.
Qui dominum caeli patrem memoramus, in ipso
Iam fratres nos esse decet nec origine carnis
Germanum tractare odium, sed spiritus igne
Flagrantes abolere doli monumenta uetusti
Atque nouum gestare hominem, ne forsan ab alto
Degenerent terrena Deo, cui nos duce Christo
Fecit adoptiuos caelestis gratia natos.
Sanctificetur ubi Dominus, qui cuncta creando
Sanctificat, nisi corde pio, nisi pectore casto P
Vt mereamur eum nos sanctificare colendo,
Annuat ipse prior, sicut benedicier idem
Se iubet a nobis, a quo benedicimur omnes.
Adueniat regnum iam iamque scilicet illud,
Morte uacans et fine carens, cui nulla per aeuum

Tempora succedant, quia nescit tempus habere
Continuus sine nocte dies: ubi principe Christo
Nobile perpetua caput amplectente corona
Victor opima ferens gaudebit praemia miles.
Hoc iugibus uotis, hoc nocte dieque precemur,
Illius ut fiat caelo terraque uoluntas,
Qui nusquam uult esse nefas hostemque nocentem
Vtque polo sic pellat humo, ne corpora nostra
Tamquam uile solum saeuus sibi uindicet hydrus;
Sed qui cuncta fouet plena pietate redundans
Omnipotens animas pariter conseruet et artus:
Altera pars etenim caeli sumus, altera terrae.
Annonam fidei speramus pane diurno,
Ne mens nostra famem doctrinae sentiat umquam
A Christo ieiuna, suo qui corpore et ore
Nos saturat simul ipse manens uerbumque cibusque.
Dulcia nam Domini nostris in faucibus haerent
Eloquia exuperantque fauos atque omnia mella.
Debita laxari qui nobis cuncta rogamus,
Nos quoque laxemus; proprii nam cautio uerbi
Spondentes manifesta tenet, grauiusque soluti
Nectimur alterius si soluere uincla negemus:
Incipietque pius decies millena talenta
Dimittens Dominus, si nos adfligere propter
Denarios centum conseruum senserit ullum,
Tradere confestim tortoribus, inque feroci
Carcere constricti non permittemur abire,
Donec cuncta breuem reddamus adusque quadrantem.
Non quia nos Dominus, lucis uia, semita pacis,
In laqueos temptantis agat, sed cum mala nostra
Deserit, ire sinit. nam quisquis retia mundi
Deliciosa sequens luxus et gaudia blandae
Perditionis amat, Deus hunc, uirtutis amator,
Linquit, et ingreditur qua se temptatio ducit.
Ab hac ergo pedem retro faciamus et artum
Corde petamus iter, tenuis qua semita monstrat
Ire per angustam regna ad caelestia portam.
Si cupimus uitare malum, debemus adire
Sectarique bonum: hic quia liberat, ille trucidat;
Hic alit, ille necat. nam quantum sidera terris,
Ignis aquis, lumen tenebris, concordia bellis,
Vita sepulturis, tantum bona longius absunt

Dissociata malis. dextrum quicumque necesse est
Aut laeuum gradiatur iter. sed dextra bonorum
Semita conspicuos uocat in sua gaudia iustos
Inque tuos, patriarcha, sinus: at laeua malorum
Exercet poenas et ad impia tartara mittit.
Ergo agnis ouibusque Dei est haec sola uoluntas
Et bona libertas: euadere torua cruenti
Ora lupi uitaque frui per pascua Christi.

Liber Tertivs

Prima suae Dominus thalamis dignatus adesse
Virtutis documenta dedit conuiuaque praesens
Pascere, non pasci ueniens, mirabile! fusas
In uinum conuertit aquas: amittere gaudent
Pallorem latices, mutauit laeta saporem
Vnda suum largita merum, mensasque per omnes
Dulcia non nato rubuerunt pocula musto.
Impleuit sex ergo lacus hoc nectare Christus:
Quippe ferax qui uitis erat uirtute colona
Omnia fructificans, cuius sub tegmine blando
Mitis inocciduas enutrit pampinus uuas.
Post regulus nato quidam moriente rogabat
Flebilis et supplex Dominum, quo uiseret aegrum
Febre laborantem puerum trepidamque uetaret
Labi animam de sede sua. tunc larga. potestas,
Credenti quae nulla negat nec dona retardat,
Velocem comitata fidem, sermone salutem
Concedens facili: uiuit iam filius, inquit,
Perge, tuus. quantum imperii fert iussio Christi!
Non dixit \'uicturus erit\' sed \'iam quia uiuit\'
More Dei, qui cuncta prius quam nata uidendo
Praeteritum cernit quidquid uult esse futurum.
Inde salutiferis incedens gressibus urbes,
Oppida, rura, casas, uicos, castella peragrans,
Omnia depulsis sanabat corpora morbis.
Ecce autem mediae clamans ex agmine turbae
Leprosus poscebat opem uariosque per artus
Plus candore miser: si uis, Domine, inquit, ab istis
Me maculis mundare, potes. \'uolo\' Christus ut inquit,
Confestim redit una cutis proprioque decore
Laeta peregrinam mutarunt membra figuram,
Inque suo magis est uix agnitus ille colore.

Forte Petri ualidae torrebat lampadis aestu
Febris anhela socrum, dubioque in funere pendens
Saucia sub gelidis ardebat uita periclis,
Inmensusque calor frigus letale coquebat.
At posquam fessos Domini manus adtigit artus,
Igneus ardor abiit, totisque extincta medullis
Fonte latentis aquae cecidit uiolentia flammae.
Quin etiam rabidas nigrorum depulit iras
Spirituum, ne flatus atrox laceraret iniqua
Peste homines operisque Dei uexaret honorem,
Quem norat non esse Dei; passimque cateruas
Vt pius innumeras pulso languore saluti
Reddidit et uaria populos a clade leuauit.
Inde marina petens arentes gressibus algas
Pressit, et exiguae conscendens robora cumbae
Aequoreas intrauit aquas; Dominumque sequentes
Discipuli placido librabant carbasa ponto.
Iam procul a terris fuerat ratis actaque flabris
Sulcabat medium puppis secura profundum,
Cum subito fera surgit hiems pelagusque procellis
Vertitur et trepidam quatiunt uada salsa carinam.
Perculerat formido animos, seseque putabant
Naufraga litoreis iam tendere brachia saxis.
Ipse autem placidum carpebat pectore somnum,
Maiestate uigil, quia non dormitat in aeuum,
Qui regit Israhel neque prorsus dormiet umquam.
Ergo ubi pulsa quies cunctis lacrimantibus una
Voce simul ”miserere citus, miserere, perimus,
Auxilio succurre pio\’, nil uota moratus,
Exurgens Dominus ualidis mitescere uentis
Imperat et dicto citius tumida aequora placat.
Non erat illa feri pugnax audacia ponti,\’.
In Dominum tumidas quae surgere cogeret undas,
Nec metuenda truces agitabant flamina uires:
Sed laetum exiliens Christo mare conpulit imum
Obsequio feruere fretum, rapidoque uolatu
Mouerunt auidas uentorum gaudia pinnas.
Interea placido transuectus marmore puppem
Liquerat et medios lustrabat passibus agros,
Cum procul e tumulis gemino stridore ruentes
Prosiluere uiri, quos non mala daemone pauco
Sed legio uexabat atrox, nexuque cruento

Saeua catenatis gestantes uincla lacertis.
Angebat quoque poena duplex. heu dura furoris
Condicio ! qui uim patitur magis ille ligatur
Tunc Domini praecepta tremens exire iubentis,
Spiritus infelix hominem non audet adire,
Effigiem reddit quam Christum cernit habere;
Sed pecus, inmunda gaudens lue, semper amicum
Sordibus atque olido consuetum uiuere caeno
Pro meritis petiere suis tristesque phalanges
Porcinum tenuere gregem: niger, hispidus, horrens
Talem quippe domum dignus fuit hospes habere.
Hinc alias Dominus pelago dilatus in oras,
Intrauit natale solum, quo corpore nasci
Se uoluit patriamque sibi pater ipse dicauit.
Ecce aderant uiuum portantes iamque cadauer
Bis bina ceruice uiri lectoque cubantem
Vix hominem, cui uita manens sine corporis usu
Mortis imago fuit, resolutaque membra iacebant
Officiis deserta suis, fluxosque per artus
Languida dimissis pendebant uincula neruis.
Hunc ubi uirtutum Dominus conspexit egentem
Robore, peccatis primum mundauit ademptis,
Quae generant augmenta malis miseroque iacenti:
Surge, ait, et proprium scapulis adtolle grabatum,
Inque tuam discede domum. nil iussa moratus,
Cui fuerat concessa salus, uestigia linquens
Tandem aliena suis laetatur uadere plantis
Vectoremque suum grata mercede reuexit.
Principis interea synagogae filia clauso
Functa die superas moriens amiserat auras.
At genitor, cui finis edax spem prolis adultae
Sustulerat, sanctos Domini lacrimansque gemensque
Conruit ante pedes, uix uerba-precantia fari
Singultu quatiente ualens \'miserere parentis
Orbati, miserere senis, modo filia\' dicens
\'Vnica uirgineis nec adhuc matura sub annis
Occidit et misero patris mihi nomen ademit.
Adfer opem lapsamque animam per membra refunde,
Qui totum praestare potes\'. haec inquit: et auctor
Lucis ad extinctae pergebat funera gressum
Vix populo stipante mouens, permixtaque turbis
Ibat inundantem mulier perpessa cruorem,

Quae magnas tenuarat opes, ut sanior esset,
Exhaustaque domu nec proficiente medella
Perdiderat proprium pariter cum sanguine censum.
Ast ubi credentis iam sano in pectore coepit
Diues adesse fides, mediis inmersa cateruis
Nititur auersi uel filum tangere Christi.
Posteriusque latens subitam furata salutem
Extrema de ueste rapit siccisque fluentis
Damnauit patulas audax fiducia uenas.
Senserat ista Deus, cuius de fonte cucurrit
Quod uirtus secreta dedit, furtumque fidele
Laudat et egregiae tribuit sua uota rapinae.
Ventum erat ad maesti lugentia culmina tecti
Deflentemque domum, moriens ubi uirgo iacebat
Extremum sortita diem, trepidusque tumultus
Omnia lamentis ululans implebat amaris,
Funereosque modos cantu lacrimante gemebant
Tibicines, plangorque frequens confuderat aedes.
Ponite sollicita conceptos mente dolores,
Hic sopor est, Saluator ait, nec funus adesse
Credite, nec somno positam lugete puellam.
Dixerat et gelida constrictum morte cadauer
Spiritus igne fouet, uerboque inmobile corpus
Suscitat atque semel genitam bis uiuere praestat.
Obstipuere animis, inopinaque uota parentes
Aspiciunt uersisque modis per gaudia plangunt.
Inde pedem referens duo conspicit ecce sequentes
Caecatos clamare uiros: fili inclite Dauid,
Decute nocturnas extinctis uultibus umbras
Et clarum largire diem. quam credere tutum,
Quam sanum est cognosse Deum! iam corde uidebant
Qui lucis sensere uiam; tunc caeca precantum
Lumina defuso ceu torpens ignis oliuo
Sub Domini micuere manu, tactuque sereno
Instaurata suis radiarunt ora lucernis.
His ita dimissis alius producitur aeger,
Multiplici languore miser, qui uoce relictus,
Auditu uacuus, solo per inania membra
Daemone plenus erat. hunc protinus ordine sacro
Curauit uersis Deus in contraria causis,
Daemonio uacuans, auditu et uoce reformans.
Nec minus interea proprios iubet omnia posse

Discipulos totisque simul uirtutibus implens:
Ite, ait, et tristes morborum excludite pestes,
Sed domus Israhel (quia necdum nomine gentes
Auxerat hoc omnes), caelorum dicite regnum,
Daemoniis auferte locum, depellite lepram
Functaque subductae reuocate cadauera uitae:
Sumpsistis gratis, cunctis inpendite gratis.
Ac uelut hoc dicens: ego uobis quippe ministris
Seruandos conmitto greges, ego denique pastor
Sum bonus et proprios ad uictum largior agros:
Nemo meis ouibus quae sunt mea pascua uendat.
Haec in apostolicas ideo prius edidit aures
Omnipotens, ut ab his iam sese auctore magistris
In reliquum doctrina fluens decurreret aeuum:
Qualiter ex uno paradisi fonte leguntur
Quatuor ingentes procedere cursibus amnes,
Ex quibus in totum sparguntur flumina mundum.
Exin conspicuam synagogae ingressus in aulam,
Aspicit inualidum, dimenso corpore mancum,
Seminecem membris, non totum uiuere, cuius
Arida torpentem damnarat dextera partem;
Imperioque medens gelidam recalescere palmam
Praecipit et reduci diuino more saluti,
Sicut semper agit, nil tollit et omnia reddit.
En iterum ueteres instaurans lubricus artes
Ille chelydrus adest, nigri qui felle ueneni
Liuidus humano gaudet pinguescere tabo,
Quodque per alternos totiens disperserat aegros
Virus in unius progressus uiscera fudit:
Cui uocem lumenque tulit, triplicique furore
Saucia membra tenens mutum quatiebat et orbum.
Tunc Dominus mundi, lux nostra et sermo parentis,
Sordibus exclusis oculos atque ora nouauit;
Verbaque per uerbum, per lumen lumina surgunt.
Venerat et mulier morbo contracta uetusto
Non senio, tremebunda, gemens, incurua, caducis
Vultibus et solam dispectans cernua terram.
Quae Domino miserante iuges post octo decemque
Membra leuat messes, caelumque ac sidera tandem
Cernit et ardentem solis reminiscitur orbem,
Totum erecta uidens: quia quos malus opprimit hostis
Ima petunt, quos Christus alit sine labe resurgunt.

Cumque dehinc populum sese in deserta secutum
Vt typicus Moyses uerusque propheta uideret
Antiquam sentire famem, maioribus actis
Antiquam monstrauit opem, tunc alite multa
Carnis opima dedit, geminis modo piscibus auxit;
Sufficiens tunc manna pluit, modo panibus amplum
Quinque dedit uictum per milia quinque uirorum.
Cetera turba latet, numero nec clauditur ullo
Maxima paruorum legio uel maxima matrum.
Quodque magis stupeas, cophinos ablata replerunt
Fragmina bis senos, populisque uorantibus aucta
Quae redit a cunctis non est data copia mensis.
Iamque senescentem calidi sub caerula ponti
Oceano rapiente diem, cum pallor adesset
Noctis et astriferas induceret hesperus umbras,
Discipuli solo terris residente magistro.
Vndosum petiere salum, fluctuque tumenti
Torua laborantem iactabant aequora puppem;
Aduersus nam flatus erat. tunc noctis opacae
Tempore calcatas Dominus superambulat undas
Et uasti premit arua freti, glaucisque fluentis.
Circumfusa sacras lambebant marmora plantas.
Miratur stupefacta cohors sub calle pedestri
Nauigeras patuisse uias: at Petrus amicam
Doctus habere fidem Christumque agnoscere semper
In medias discendit aquas, quem dextra leuauit
Labentem Domini, nil tanto in gurgite passum:
Cui portus fuit illa manus, pelagique uiator
Libera per uitreos mouit uestigia campos.
Genesar inde soli Domino ueniente coloni
Infirmos traxere suos, ut fimbria saltim
Vix adtacta Dei morbis mederetur acerbis:
Et quotquot tetigere iugem sensere salutem.
Quam pretiosa fuit quae numquam uendita uestis,
Ipsa omnes modici redimebat munere fili!
Hinc Tyrias partes Sidoniaque arua petentem
Anxia pro natae uitio, quam spiritus atris
Vexabat stimulis, mulier Chananaea rogabat,
Se canibus confessa parem, qui more sagaci
Semper odoratae recubant ad limina mensae,
Adsueti refluas dominorum lambere micas.
Vox humilis, sed celsa fides, quae sospite nata

De cane fecit ouem gentisque in sentibus ortam
Conpulit Hebraei de gramine uescier agri.
Alta dehinc subiens montis iuga plebe sequente
Milia caecorum, claudorum milia passim
Leprososque simul populos surdasque cateruas,
Inualidasque manus et quidquid debile uulgi
Venerat, in priscum conponit motibus usum
Et reuocata suis adtemperat organa neruis.
Dumque medens aegrum refouet uirtute tumultum,
Tertia lux aderat, sterilique in cespite nullum
Contigerat plebs tanta cibum, nimiosque labores
Nutribat geminanda fames si saucia callem
Turba per ingentem dapibus ieiuna rediret.
Qua. flexus pietate Deus, qui semper egentum
Panis adest uictumque locis sine frugibus infert,
Pisciculis paucis et septem panibus agmen
Pauit inorme uirum, praeterque infirma secundi,
Sexus et aetatis saturauit quattuor illic.
Milia uescentum. plus ut mireris, et auctas
Disce fuisse dapes, epulas nutriuit edendo
Vulgus, et adtritae creuerunt morsibus escae.
Reliquiasque suas, sportarum culmina septem,
Expauit fugitiua fames, ubi fragmine sumpto
Vidit abundantem modico de semine messem.
Nec tamen humano quamuis in corpore Christum,
Matris ab occasu mortalia membra gerentem,
Clam fuit esse Deum, quia non absconditur umquam
Vrbs in monte sedens, modio nec subditur ardens
Lychnus, anhelantem sed spargens altius ignem
Cunctis lumen agit: radians nam testibus amplo
Discipulis fulgore tribus uelut igneus ardor
Solis, in aetheriam uersus splendore figuram,
Vicerat ore diem, uestemque tuentibus ipsam
Candida forma niuis Domini de tegmine fulsit.
0 meritum sublime trium, quibus illa uidere
Contigit in mundo quae non sunt credita mundo!
Quid quod et Heliam et clarum uidere Moysen?\'
Ignotos oculis uiderunt lumine cordis,
Vt maior sit nostra fides: hunc esse per orbem
Principium ac finem, hunc a uiderier, hunc ω.
Quem medium tales circumfulsere prophetae,
Alter adhuc uiuens, alter stans limite uitae.

Sidereoque sono \'mens est hic Filius\' aiens
Ostendit uerbo genitum uox patria Christum.
Postquam corporeos uirtus regressa per artus
Texit adoratam carnis uelamine formam,
Seque palam Dominus populis dedit: ecce repente
Vir humilis maesto deiectus lumina uultu
Procedit supplexque manus et brachia tendit
Inploratque gemens: unus mihi filius, unus
Est, Domine; horrenda lacerat quem spiritus ira
Nec linquit, nisi mergat aquis aut ignibus atris
Opprimat, atque animam dubia sub morte fatigat.
Hunc, precor, expulso miseratus utrumque furore
Redde mihi uel redde sibi, ne caeca potestas
Expellat trepidam subtracto lumine uitam.
Dixerat et genua amplectens genibusque uolutans
Haerebat; Dominusque pio iam pectore uotis
Adnuerat. tunc praedo furens ac noxius hostis,
Cui possessa diu est alieni fabrica iuris,
Peruasa migrare domo conpulsus, in iram
Tollitur accensam correptaque carpere membra
Nititur et frustra Domino prohibente laborans
Fugit in obscuras puero uiuente tenebras.
Rex etiam solus regum et Dominus dominantum
Non dedignatus Petro piscante tributum
Soluere Caesareum, medii de gurgite ponti
Hamum ferre iubet gerolum didragmatis aurei.
Incola mox pelagi pendentia fila momordit,
Iussa tributa ferens, grauiorque onerante metallo
Vilis honor piscis pretio maiore pependit.
Discipulisque suis se percontantibus, aulae
Caelestis regni quis possit maior haberi: .-..
Vt Deus et doctor mirabilis: omnibus, inquit,
Celsior est humilis cunctisque potentior ibit
Qui cunctis subiectus erit seseque minorem
Dimissa ceruice feret, uelut iste uidetur
Paruulus (et monstrat puerum consistere paruum);
Scilicet ingenium teneri sectemur ut aeui
Non annis, sed mente iubet, quia mollior aetas
Nil pompae mundalis amat, non ambit honorem,
Nec resupina tumet: sic purae semita uitae
Quantum prona solo, tantum fit proxima caelo.
Mens etenim uergens altum petit altaque uergit,

Inferiorque gradus quo uult discendere surgit.
Ecce humilem Dominus de stercore tollit egentem
Et facit egregios inter residere tyrannos:
At contra tumidum pugnaci mente rebellem
Praecipitem caelo sub tartara iussit abire.
Parua loquor ei facta Dei per singula curram
Et speciale bonum, cum sit generale, reuoluam.

Liber Qvartvs

Iam placidas Iordanis item transgressus harenas,
Iudaeae sectatus iter: sine nomine mixtum
Vulgus, et innumeras releuans a clade cateruas
Suscipit infirmos et dat discedere sanos.
Nil igitur summo de se sperantibus umquam
Difficile est conferre Deo, cui prona facultas
Ardua planare et curua in directa referre;
Et quidquid natura negat se iudice praestat.
Namque foramen acus sicut penetrare camelus
Membrorum pro mole nequit, sic diues opima
Fertilitate tumens tenuem non posset adire
Caelestis regni ducentem ad limina callem,
Ni genitor rerum (qui mundum lege cohercet
Et nulla sub lege manet, cui condere uelle est,
Quem frons nulla uidet, sed totum conspicit ipse)
\'Hoc inpossibile est homini\' dixisset, \'at alto
Possibile est ius omne Deo\', multisque molestum
Diuitibus tandem faceret mitescere censum.
Nam proprias bene tractat opes caeloque recondi
Thensauros uult ille suos, ubi quidquid habetur
Non mordax aerugo uorat, non tinea sulcat,
Nec male defossum famulatur furibus aurum,
Ieiunis qui ferre cibum, sitientibus haustum,.
Hospitibus tectum, nudis largitur amictum,
Solatur nexos in carcere, perfouet aegros,
Atque aliis largus, sibi tantum constat egenus.
Nec dubie in caelum substantia peruenit illa,
Quae Christo conlata datur sub paupere forma,
Quae damnis augmenta capit, quae spargitur ut sit,
Quae perit ut maneat, quae uitam- mortua praestat.
Praeterea geminos Dominus considere caecos
Dum quoddam transiret iter comitante caterua
Conspicit, extinctae poscentes munera formae

Flebilibusque uagas implentes uocibus auras.
Nec cunctata solens pietas inferre salutem,
Quae sentit flagrare fidem, mox lumina tangens
Euigilare iubet, quae somnus presserat ingens,
Atque diu clausas reserans sub fronte fenestras
Ingrediente die fecit discedere noctem.
Hinc repetita sacri gradiens per moenia templi
Lumina caecatis dedit et uestigia claudis.
Talia Dauiticam post facta reliquerat urbem
Bethaniae uicina petens, eademque reuersus
Clarescente die properabat uisere tecta.
Ecce autem mediis adstans sublimis in aruis
Frondea ficus erat, cuius in robore nullum
Repperit esuriens lustrato stipite pomum;
Arboreisque comis \'iam nunc ex germine uestro\'
Nullus\' ait \'fructus reliquum generetur in aeuum\'.
Confestim uiduata suis ficulnea sucis
Aruit et siccis permansit mortua ramis.
Omnis enim quicumque Deo nil fertile nutrit,
Ceu sterilis truncus lignis aequabitur ustis.
At iustus palmae similis florebit amoenae,
Semper habens frondes et tamquam Libana cedrus
Multiplicandus adest et uertice sidera tanget.
Post oblatus ei uirtutem sensit erilem
Insanus sermone carens, quem faucibus artis
Angebat uis clausa mali, uitiumque tacendo
Prodiderat. sed cuncta solens infirma leuare
Conditor obsessa pepulit de fauce latronem
Et uoci patefecit iter nexuque soluto
Muta diu tacitas effudit lingua loquellas.
Post Dominus Pharisaea petens conuiuia cenae
Orantis dapibus sese inpertiuit amici.
Tunc mulier, quam fama nocens et plurima uitae
Mordebant delicta suae, clementia supplex
Conruit amplectens uestigia, quaeque profusis
Inrigat incumbens lacrimis, et crine soluto
Nec tergere sacras nec cessat lambere plantas
Vnguento flagrante fouens, sententia donec
Lata Dei, quem ferre manum non poenitet umquam,
Si nos poeniteat ueterem quaesisse ruinam,
\'Vade, fides, mulier, tua te saluauit ab omni\'
Dixisset, quodcumque mali gessisse uideris:

Vtere pace mea.\' Magna est medicina fateri
Quod nocet abscondi, quoniam sua uulnera nutrit
Qui tegit et plagam trepidat nudare medenti.
En polluta diu, modicum purgata recessit
Per gemitum propriique lauans in gurgite fletus,
Munda suis lacrimis redit et detersa capillis.
Iamque Capharneae synagogam intrauerat urbis
Rite docens populos. quem cum uidisset iniquus
Humano sub corde latens, clamore proteruo
Spiritus infremuit \'quid nobis et tibi?\' dicens,
Terdere nos heu Christe, uenis? scio denique qui sis,
Et sanctum cognosco Dei\'; nec plura locutus
Imperio terrente tacet hominemque reliquit
Pulsus et in uacuas fugiens euanuit auras.
Sic etiam uariis finem languoribus esse
Fecit et exclusos semper reticere coegit
Daemonas ac talem prohibet se pandere testem.
Olim quippe ferox et nigrae mortis amator
Ille nocens anguis, deiectus culmine caeli
Cum pompis sociisque suis omnique nefandae
Agmine militiae, Christum, quem nouerat illic,
Conspicit in terris, uelamine carnis opertum,
Et gemit esse homini dominum uirtutis amicum.
Dumque Tyri transgressus iter, Sidonia rursus
Arua legens, placidas Dominus calcaret harenas,
Curauit gemino miserum spiramine clausum,
Qui uocem non ore dabat, non aure trahebat,
Sidereaeque manus ruptis penetralibus omnes
Adtactu patuere fores, laetusque repente
Audirique loquens meruitque audire loquentes.
Tu quoque uirtutis sensisti munus erilis
Procumbens oculis, cuius in lumine Christus
Expuit et speciem simulatae mortis ademit.
Hinc maiora docens populos caelestia uerum
Se reserat sermone Deum turbasque frequentes,
Quae nimis inruerant, cupiens uitare parumper
Stagna petit paruaque sedens in Simonis alno,
Litore sistentem firmabat ab aequore plebem.
Et dictis iam finis erat; tunc altius actam
In pelagus iubet ire ratem uastoque profundo
Retia dimitti piscantia, quae nihil omnem.
Claudere per noctem uacuo potuere labore.

Simon paret ouans et aquosis gentibus instans
Linea claustra iacit tantumque inmanis apertos
Impleuit captura sinus, ut praeda redundans
Turbaret geminas cumulato pisce carinas:
Nam socia stic puppis erat. sic maxima saepe
Gaudia non ferimus propensaque uota timemus;
Quodque Deo facile est homines optare nec audent.
Talibus insignis uirtutibus ibat in urbem,
Quae sit dicta Naim, populo uallatus opimo
Et grege discipulum, miserum cum comminus ecce
Conspicit ecferri iuuenem gelidumque cadauer,
Pluribus exsequiis et inani funere passum
Triste ministerium, cuius sors inuida matrem
Iamdudum uiduam gemina uiduauerat urna.
Nec remorata diu pietas, inimica doloris,
Auxilium uitale tulit tactoque feretro
\'Surge\' ait o iuuenis\'; parensque in tempore dicto
Mortuus adsurgit, residensque loquensque reuixit
Atque comes genetricis abit: nam funere torpens
Et licet amissae passus discrimina uitae,
Non poterat famulus Domino clamante tacere
Nec uita praesente mori. mox agmine uerso
Deponens trepidum recidiuo tramite luctum,
Candida felicem reuocauit pompa parentem.
Nec tibi parua salus Domino medicante, Maria,
Multiplici laesum curauit uulnere sensum,
Quam fera septenis rabies inuaserat armis,
Daemonico cuneata globo; sed squameus anguis
Imperiosa sacri fugiens miracula uerbi
Corde tuo depulsus abit uolucresque per auras
In chaos infernae lapsus penetrale gehennae
Septem ingens gyros, septena uolumina traxit.
Neue redundantem cumulato germine messem
Exiguis Dominus sineret languere colonis,
Discipulosque alios, quorum mens conscia recti
Puraque simplicitas numero meritoque refulgens
Aurea libra fuit, uelut agnos praecipit inter.
Sanguineos properare lupos \'adsumite\' dicens
lura potestatis, nullum metuatis ut hostem;
Vipereasque minas et scorpion atque inimicae
Omnia uirtutis sensu calcate fideli:
Nulla meis famulis feritas aduersa nocebit.

Nec tantum hoc gaudete, uiri, quod spiritus ater
Subiaceat uobis, quantum quod nomina uestra
Scribat in aeterno caelestis littera libro\'.
Ius est quippe Dei uitam praeponere factis.
Nam merito cessante bono miracula nil sunt,
Quae faciunt plerumque mali, quibus arbiter orbis
\'Nescio uos\' dicturus erit, \'discedite cuncti
Artifices scelerum, rebus qui semper iniquis
Diuinum simulastis opus\'. sic tempore Moysi
Carminibus quidam uanae Memphitis in oris
Signa dabant non sponte Dei, sed imagine falsa
Visibus humanis magicas tribuere figuras.
Post Pharisaeorum cuiusdam principis intrat,
Clarificare domum, non escam sumere tantum,
Ad quam tunc facili conuenerat ille precatu.
Hic homo perspicuo distentus uentre tumebat
Plenus aquae grauidamque cutem suspenderat aluus,
Inclusam paritura necem; iam membra fluebant
Adcrescente sinu, miserosque infusa per artus
Turgida perflatum macies tenuauerat aegrum,
Inque uteri spatium totus conuenerat hydrops.
Non tulit hanc speciem mundi Pater, et sua transit
Sabbata non curans, hominem curare paratus
Quem uoluit magis esse suum: nam sabbata propter
Condita sunt hominem, \'non est homo sabbata propter.
Tunc pius umentem siccata corporis unda
Iussit abire luem: fluuidus mox uiscera morbus
Deserit et uacuae resident in pectore fibrae,
Carnalemque lacum pestis lymphata reliquit.
Coeperat interea Dominus Galilaea per arua
Transgrediens sancto quoddam pede tangere castrum.
Hunc procul ut uidere decem maculosa gerentes
Leprosi portenta uiri, quos corpore foedo
Discolor obscenis turpabat poena figuris,
Praeceptor, miserere, potes namque omnia, Iesu\'
Clamantes dixere simul: tunc flexa potestas,
Quae numquam pietate uacat, clementior infit:
Ite, sacerdotum conspectibus ora referte.
Cumque uiam peterent, subito mundata uicissim
Mirantur sua membra uiri uariumque tuentes
Esse nihil sese pariter speculantur et omnes
Explorant proprias alterno lumine formas.

Ex quibus ut grates ageret pro munere tanto,
Vix unus reduci conuersus tramite planta
Sternitur ad terram Dominum uirtutis adorans
Atque sacerdoti uero sua protulit ora.
Denique pontificum princeps summusque sacerdos
Quis, nisi Christus, adest? gemini libaminis auctor
Ordine Melchisedech, cui dantur munera semper
Quae sua sunt, fructus segitis et gaudia uitis.
Cum residens caecus Timei filius illud
Propter iter, Dominum per quod cognouerat ire,\'
Vociferans crebro lumen clamore petisset
Nec populo prohibente tacens, accedere iussus
Ad Dominum palpante manu, uisumque recepit
Et nullo ducente redit. quam fortiter instat
Inportuna fides! quidquid res dura negarit,
Sola frequens uotis oratio praestat honestis.
Vnanimum panem sic ille petebat amicum,
Qui foribus clausis per opaca silentia noctis.
Obnixeque diu confidenterque neganti
Vocibus adsiduis precibusque extorsit anhelis.
Praeteriensque uiae Dominus loca Samaritanae
Humanam flagrante sitim collegerat aestu,
Fonsque perennis aquae, modicam desiderat undam,
Vt biberet qua corpus erat. tunc accola gentis
Stans mulier, paruum puteo quae traxerat haustum,
Cum dare cunctatur periturae munera lymphae,
Agnoscens propriam numeroso coniuge uitam,
Orat inexhausti tribui sibi dona fluenti,
Aeternam positura sitim, qua nemo carere
Dignus erit, Domini nisi mersus gurgite Christi
Percipiat placidas animae, non corporis undas.
Dumque sui media residens testudine templi
Ore tonans patrio directi ad peruia callis
Errantem populum monitis conuertit amicis:
Ecce trahebatur magna stipante caterua
Turpis adulterii mulier lapidanda reatu,
Quam Pharisaea manus placido sub iudice sistens
Cum damnare parat, plus liberat; omnibus illis
Nam simul e turbis proprie sine crimine nullus
Accusator erat, saxum qui missile primus
Sumeret obscenae feriens contagia moechae.
Nec poterat quisquam fistucam uellere paruam

Ex oculo alterius, proprio qui lumine grandem
Sciret inesse trabem. profugus sic ille recessit
Impetus et clemens donat sententia culpam„
lam non peccandi sub condicione solutam.
Nam uomitum quicumque suum canis ore relambit,
Nec ueterem studet hic ueniam nec habere futuram,
Huius damna tenens, huius conpendia perdens.
Inde means genitum cernit considere caecum,
Qui male praegnantis dilapsus uentre parentis
In lucem sine luce ruit. tunc sanguinis ille
Conditor humani mundique orientis origo,
Inperfecta diu proprii non passus haberi
Membra operis, natale lutum per claustra genarum
Inliniens hominem ueteri de semine supplet.
Nec uisum tamen ante capit, quam uoce iubentis
Accepta Domini Siloam uenisset ad undam
Et consanguinei tutus medicamine limi
Pura oculos fouisset aqua. mox ergo gemellae
Vultibus effulgent acies tandemque merentur
Ignotum spectare diem. cognoscite cuncti,
Mystica quid doceant animos miracula nostros.
Caeca sumus proles miserae de fetibus Euae,
Portantes longo natas errore tenebras.
Sed dignante Deo mortalem sumere formam
Tegminis humani, facta est ex uirgine nobis,
Terra salutaris, quae fontibus abluta sacris
Clara renascentis reserat spiramina lucis.
Bethaniaeque solum repetens intrarat; ibique
Lazarus occidua tumulatus sorte iacebat
Iam quarto sine luce die claususque sepulchri
Marmore corruptum tabo exalabat odorem.
Flebant germanae, flebat populatio praesens,
Flebat et Omnipotens, sed corpore, non deitate
Exanimosque artus illa pro parte dolebat,
Qua moriturus erat; lacrimis impleuit amicum,
Maiestate Deum. quid credere, Martha, moraris?
Quidue, Maria, gemis? Christum dubitatis, an unum
Possit ab infernis hominem reuocare cauernis,
Qui dabit innumeras post funera surgere turbas?
Ergo ubi clamantis Domini sonuit tuba dicens
\'Lazare, perge foras\': magno concussa pauore
Tartara dissiliunt, herebi patuere recessus,

Et tremuit letale chaos, mortisque profundae
Lex perit, atque anima proprias repente medullas
Cernitur ante oculos uiuens adstare cadauer.
Postque sepulchralem tamquam recreatus honorem
Ipse sibi moriens et postumus extat et haeres.
Vtque caduca uagi contemnens culmina saecli
Monstraret se rite Deum, non curribus altis,
Qui pompae mortalis honor, rapidisque quadrigis
Puluereum sulcauit iter nec terga frementis
Ardua pressit equi, faleris qui pictus et ostro
Ora cruentatum mandentia concutit aurum:
Sed lento potius gestamine uilis aselli
Rectori suffecit honos, lenis ungula cuius
Vt tanto sessore decus mirabile portans
Nobilior sub fasce foret, non illius inpar,
Qui patulo Christum licet in praesepe iacentem
Agnouit tamen esse Deum. plebs omnis adorans
In solido molles subiecit tramite uestes.
Dicite, gentiles populi, cui gloria regi
Talis in orbe fuit? cui palmis compta uel umquam
Frondibus arboreis laudem caelestibus ymnis
Obuia turba dedit? Domino nisi cum Patre Christo,
Qui regit aetherium princeps in principe regnum.
Cui sanctus semper conregnat Spiritus aeque.

Liber Qvintvs

Has inter uirtutis opes iam proxima paschae
Coeperat esse dies, Domini cum gloria uellet
Ponere mortalem niuamque resumere carnem,
Non aliam, sed rureus eam, quam munere plenam
Lucis ab infernis releuans ad sidera duxit.
Exclamansque palam \'pater istac memet ab hora
Saluifica, sed in hanc ideo ueni tamen horam;
Clarifica\' dixit nomen tuum\'. magnaque caelo
Vox resonans uenit per nubila: clarificaui,
Clarificemque iterum. quid apertius est Patre teste,
Caelo adsertore? ac nec sic agnoscere Christum
Gens uoluit Iudaea Deum; pars esse ferebat
Hoc tonitruum, pars angelicam crepuisse loquellam.
O gens caeca oculis, o gens durissima corde!
Num tonitruus potuit Christum, seu angelus ullus
Auctorem generasse suum, qui nomine Patris

Audito responsa daret? sed ab ore Tonantis
Natum agnoscentis, populus quo crederet adstans,
Vox emissa suo respondit consona uerbo.
Annua tunc sacrae celebrans per munera cenae
Paschales ex more dapes humilemque magistrum
Se faciens et grata suis exempla relinquens
Adsurgit famulisque libens famulatus et omnem
Linteolo adcinctus tantum inclinauit honorem,
Discipulis ut sponte lauans uestigia cunctis
Nec Iudam exciperet, quem proditionis iniquae
Nouerat auctorem. sed nil tibi gloria, saeue
Traditor, illa dabat pedibus consistere mundis,
Qui sensu pollutus eras uelut omne sepulchrum
Exteriora gerens albae uelamina formae,
Sordibus interius foedoque cadauere plenum.
Nec Dominum latuere doli, scelerisque futuri
Prodidit auctorem, panem cui tradidit ipse
Qui panis tradendus erat: nam corporis atque
Sanguinis ille sui postquam duo munera sanxit
Atque cibum potumque dedit, quo perpete numquam
Esuriant sitiantque animae sine labe fideles:
Protinus in Iudam, sedes ubi liuor habebat,
Spiritus intrauit teterrimus armaque sumens
In Dominum seruile dedit consurgere bellum,
Pactus grande nefas quauis mercede: neque illi
Culpa datur pretio, sed inhaerent crimina facto.
Tantundem sceleris ter dena nomismata sumens
Argenti paruo caecatus munere gessit,
Quantum cuncta simul terrarum regna marisque
Diuitias omnemque uagis cum nubibus aethram
Si caperet, gesturus erat: neque enim bona mundi
Sufficerent magni fuso pro sanguine Christi,
Qui pater est mundi, qui fecerat hunc quoque nasci.
Atque utinam sterili damnatus uentre nequisset
Natalem sentire diem, nec luminis huius
Hausisset placidas flabris uitalibus auras
Aeterno torpore latens, miseroque fuisset
Sors melior nescire datam quam perdere uitam:
Aut male fusus humo confestim munera lucis
Perderet ut puluis, quem uentus proicit ingens
A facie terrae rapidisque uolatibus actus
Spargitur in uacuas nebulis obscurior umbras.

Tune cruente, ferox, audax, insane, rebellis,
Perfide, crudelis, fallax, uenalis, inique,
Traditor inmitis, fere proditor, impie latro,
Praeuius horribiles comitaris signifer enses?
Sacrilegamque aciem, gladiis sudibusque minacem
Cum moueas, ori ora premis mellique uenenum
Inseris et blanda Dominum sub imagine prodis?
Quid socium simulas et amica fraude salutas?
Numquam terribiles ant pax coniurat in enses,
Aut truculenta pio lupus oscula porrigit agno.
Traditus ergo uiris operator sanctus iniquis
Consuetam non linquit opem pueroque reuulsam
Ense Petri, ne qua pius a pietate uacaret,
Reddidit auriculam. nec enim uindicta Tonanti
Conneniens humana fuit, qui milia Patrem
Angelicas sibimet legiones poscere posset
Plus duodena dari, si mallet sumere poenas
De meritis quam sponte suas ignoscere plagas.
Tunc parci mucrone iubet, quia uenerat ipse
Ponere pro cunctis animam, non tollere cuiquam.
Namque Petro clara iamdudum uoce fatenti
Cum Domino se uelle mori \'Prius aliger\' inquit
\'Quam gallus cantet, hac me ter nocte negabis\',
Non reprobando fidem, sed praedicendo timorem.
Continuo ad tristes Caiphae deducitur aedes.
Ille sacerdotum fuerat tunc denique princeps
Et princeps scelerum; namque hoc residente cathedra
Pestifera falsis agitatum testibus ardet
Concilium, iam iamque uolant mendacia mille
In Dominum, uanis hominum conflata fauillis,
Et pereunt leuitate sui, uelut ignis oberrans
Arentes stipulas, uires cui summa cremandi
Materies infirma rapit, uictoque furore
Labitur inualidae deformis gloria flammae.
Postquam nulla dolis patuit uia, brachia tolli\'
Armat in insontem saeuus furor. heu mihi quantis
Inpedior lacrimis rabidum memorare tumultum
Sacrilegas mouisse manus! non denique passim
Vel colaphis pulsare caput, uel caedere palmis,
Aut spuere in faciem plebs execranda quieuit.
Ille tamen patiens subiecto corpore totum
Sustinuit nostraeque dedit sua membra saluti.

Namque per hos colaphos caput est sanabile nostrum,
Haec sputa per Dominum nostram lauere figuram,
His alapis nobis libertas maxima plausit.
At senior, cui cuncta potens praedixerat auctor
Quae uentura forent (quoniam transire nequiuit
Infectum quod Christus ait), se prorsus adesse
Ipsius ex sociis semel ac bis terque negauit.
Et gallus cecinit; conpleta est sanctio Christi,
Et sensus rediere Petri: memor ille malorum
Inmemoris damnauit opus, gemituque sequente
Culpa fugit, cedunt lacrimis delicta profusis,
Et dulcem ueniam, fletus, generastis, amari.
Iamque dies aderat, nocturna mestior umbra,
Flagitium uisura nouum, tenebrisque remotis
Pandebat populis Iudaeae crimina gentis.
Mox igitur Dominum Pilati ad moenia duci.
Nexibus adstrictum ludas ut uidit iniquus,
Deriguit scelerisque sui commorcia reddens
Incassum, facti pretium, non facta reliquit.
Quidnam etenim prodeest, illic trepidare timore,
Nullus ubi timor est? aut quae confessio tetro
Lucet in inferno, cum iam demersa securis
Arboris infandae radicibus, exitialem
Quae peperit fructum, feralia germina uertat
Funditus et dignis pereant mala robora flammis ?
Continuoque trucis correptus mente furoris
Se quoque morte petit, quamquam tunc sanior esset,
Cum scelus ulcisci procurreret, ipsaque dirae
Guttura uocis iter, cuncti quae uendere mundi
Ausa redemptorem, nodatis faucibus angens
Infelicem animam laqueo suspendit ab alto.
Lenior ira quidem tanto pro crimine culpae,
Cunctorum cui nulla foret par poena malorum.
Exitus hic mortis tamen et sublime cadauer
Ostendit populis, quanto de culmine lapsus
Pridem discipulus qui nunc reus, alta relinquens
Sidera tartareum discenderit usque profundum;
Tunc uir apostolicus, nunc uilis apostata factus.
At Dominus patiens cum praesidis ante tribunal
Staret, ut ad iugulum ductus mitissimus agnus,
Nil inimica cohors insontis sanguine dignum
Repperiens, regem quod se rex dixerit esse

Obicit et uerum mendax pro crimine ducit.\'
Nec mirum si iura Dei gens perfida uitet
Imperiumque neget, lucos quae semper amauit,
Idola dilexit; simili nam more furentes
Tunc coluere Baal, nunc elegere Barabban.
Damnatoque pio conseruatoque proteruo
Mutauit per utrumque uiam sententia iustam:
Auctor mortis erat iussus qui sumere lucem,
Auctor lucis erat iussus qui sumere mortem.\'
Credite iam Christum, pro cunctis credite passum.
Quid dubitatis adhuc? en sectus terga flagellis,
Subditus obprobriis, poenas amplectitur omnes,
Ne dignus sentire necem uel latro periret.
Heu falx torua patrum, segitem caesura nepotum,
Heu facinus, Pilate, tuum! quot gesseris uno
Crimina iudicio, uigili si mente notares,
Non solas lauisse manus, sed corpore toto
Debueras sacrum ueniae sperare lauacrum.
Corripis insontem, sistis sub praeside regem,
Praeponis humana Deo; qua morte teneris,
Quod Dominum numerosa cruci per uulnera figis?
Cumque datus saeuis ad poenam Sanctus abiret
Militibus, uilem rubri sub tegmine cocci
Vestitur clamidem, species ut cuncta cruenta
Mortis imago foret; spinis circumdedit amplum
Nexa corona caput, quoniam spineta benignus
Omnia nostrorum susceperat ille malorum;
Implet arundo manum, sceptrum quia mobile terrae,.
Inualidum, fragile est, uacuum, leue. moxque alienos
Deponens habitus, proprium suscepit amictum,
Scilicet humanae positurus tegmina carnis
Et sumpturus item, nil iam ut mutabile ferret
Post mortem propria cum maiestate resurgens.
.
Nec sine diuino constat moderamine gestum
Quod uinum cum felle datum tristemque saporem
Suscipiens tetigit labiis et ab ore remouit,
Quippe necem paruo degustaturus amaram
Tempore, quam reduci contemnere carne pararet.
Protinus in patuli suspensus culmine ligni,
Religione pia mutans discriminis iram,
Pax crucis ipse fuit, uiolentaque robora membris

Inlustrans propriis poenam uestiuit honore,
Suppliciumque dedit signum magis esse salutis,
Ipsaque sanctificans in se tormenta beauit.
Neue quis ignoret speciem crucis esse colendam,
Quae Dominum portauit ouans, ratione potenti
Quattuor inde plagas quadrati colligat orbis.
Splendidus auctoris de uertice fulget Eous,.
Occiduo sacrae lambuntur sidere plantae,
Arcton dextra tenet, medium laeua erigit axem,
Cunctaque de membris uiuit natura creantis,
Et cruce conplexum Christus regit undique mundum.
Scribitur et titulus: Hic est rex Iudaeorum,
Quo nihil a deitate uacet; nam caelitus actum
Hoc Hebraea refert, hoc Graeca Latinaque lingua;
Hoc docet una fides unum ter dicere regem.
Huius in eiuuiis sors mittitur, ut sacra uestis
Intemerata manens a Christo scisma uetaret.
Quin etiam insonti latere ex utroque cruentos
Constituere uiros, meritum licet omnibus unum
Non faciat similis quamuis sententia; namque
Inter carnifices sancto pendente latrones
Par est poena trium, sed dispar causa duorum.
Hi mundo sunt quippe rei pro crimine multo,
Huic reus est mundus, saluatus sanguine iusto.
Suppliciisque tamen rerum dominator in ipsis
Iura potestatis non perdidit: aequus utrumque
Iudex namque tuens hunc eligit, hunc reprobauit,
Amborum merita praecelso examine pensans.
Vnus enim, quem uita ferox nec morte reliquit,
In Dominum scelerata mouens conuicia dictis
Mordebat propriis et tamquam setiger hircus
Ore uenenoso uitem lacerabat amoenam:
Alter adorato per uerba precantia Christo
Saucia deiectus flectebat lumina, tantum
Lumina, nam geminas arcebant uulnera palmas.
Quem Dominus ceu pastor ouem deserta per arua
Colligit errantem secumque abducere gaudet.
In campos, paradise, tuos, ubi flore perenni
Gramineus blanditur ager, nemorumque uoluptas
Inriguis nutritur aquis, interque benigne
Conspicuos pomis non decipientibus hortos
Ingemit antiquum serpens habitare colonum.

Ambo igitur uarium diuerso calle latrones
Adgressi facinus uiolentum grande patrarunt.
Infernas adit ille fores, adit iste supernas;
Ille profunda sequens penetrauit claustra gehennae,
Abstulit iste suis caelorum regna rapinis.
Interea horrendae subito uenere tenebrae
Et totum tenuere polum maestisque nigrantem
Exequiis texere diem; sol nube coruscos
Abscondens radios, tetro uelatus amictu,
Delituit tristemque infecit luctibus orbem.
Hunc elementa sibi meruerunt cernere uultum,
Auxiliis orbata patris, laetata per ortum,
Maesta per occasum. nam lux ut tempore fulsit
Nascentis Domini, sic hoc moriente recessit,
Non absens mansura diu, sed mystica signans
Per spatium secreta suum; quippe ut tribus horis
Caeca tenebrosi latuerunt sidera caeli,
Sic Dominus clausi triduo tulit antra sepulchri.
Nec tellus sine clade fuit, quae talia cernens
Funditus intremuit, dubioque in fine supremum
Expauit natura modum, ne cogeret omnem
Summus apex inferna petens succumbere molem,
Auctoremque sequens per tartara mundus abiret.
Sed pietas inmensa uagas properabat ad umbras,
Perdita restituens, non consistentia perden.
Nulla tamen tanti metuerunt signa pericli
Qui Dominum fixere cruci, quin insuper haustum
Cum peteret sitiens, unus de plebe nefanda
Peniculo infusum calamo porrexit acetum.
Manzeribus populis in deteriora uolutis
Conueniens liquor ille fuit; nam dulcia uina
Sicut in horrendum cum conuertuntur acetum,
A mensis proiecta iacent: ita tempore prisco
Gens accepta Deo, nunc est odiosa propago.
Ergo ubi cuncta boni conpleta est passio Christi,
Ipse animam proprio dimisit corpore sanctam,
Ipse iterum sumpturus eam, quia mortuus idem,
Idem uiuus erat membris obeuntibus in se,
Non obeunte Deo, cuius uirtute retrorsum
Infernae patuere uiae, ruptaeque fatiscunt
Diuisa conpage petrae, rediuiua iacentum
Corpora sanctorum fractis abiere sepulchris,

In cineres animata suos; subitoque fragore
Illud ouans templum, maioris culmina templi
Procubuisse uidens, ritu plangentis alumni
Saucia discisso nudauit pectora uelo,
Interiora sui populis arcana futuris
lato reseranda docens, quia lex uelamine Moyse
Tecta diu Christo nobis ueniente patescit.
Dic ubi nunc tristis uictoria, dic ubi nunc sit
Mors stimulus horrenda tuus, quae semper opimis
Insaturata malis cunctas inuadere gentes.
Poenali dicione soles? en pessima, non tu
Peruenis ad Christum, sed Christus peruenit ad te,
Cui licuit sine morte mori quique omnia gignens,
Omnia constituens te non formauit ut esses:
Semine uipereo culpa genetrice crearis
Et uenia regnante peris. iam spiritus artus
Liquerat ad tempus, patulo iam frigida ligno
Viscera pendebant, et adhuc furor arma ministrat:,
Cuspide perfossum uiolat latus, eque patenti
Vulnere purpureus cruor et simul unda cucurrit.\'
Haec sunt quippe sacrae pro religionis honore:
Corpus sanguis aqua tria uitae munera nostrae.
Fonte renascentes, membris et sanguine Christi
Vescimur atque ideo templum deitatis habemur,
Quod seruare Deus nos annuat inmaculatum,
Et faciat tenues tanto mansore capaces.
Ergo ubi depositi thesaurum corporis amplum
Nobilis accepit Domino locus ille iacente,
Nobilior surgente tamen, generatio fallax
Augebat sub corde nefas, quod nocte silenti
Discipuli Christum raperent et abisse referrent
Ter redeunte die, sicut praedixerat ipse.
Quo stimulante metu uigilum munimina poscunt
Plura dari saeuaque locum obsidione teneri.
Si nondum post uincla crucis, post uulnera ferri,
Post obitum mortis numerosa caede cruentum,
Carnifices, implestis opus nec creditis illum,
Qui totiens imis animas produxit ab umbris,
Posse suam reuocare magis: peioribus aptos
Consiliis armate dolos, signate sepulchrum,
Ponite custodes, monumento aduoluite saxum.
Quis poterit seruare Deum, cui cardine rerum

Cuncta patent? undis habitat, per tartara regnat,
Et caeli de nube tonat. quid, saeue tumultus,
Excubiis deperdis opus? quid niteris illam
Explorare fidem, cui non uis credulus esse?,
Coeperat interea post tristia sabbata felix
Inradiare dies, culmen qui nominis alti
A Domino dominante trahit primusque uidere
Promeruit nasci mundum atque resurgere Christum.
Septima nam Genesis cum dicit sabbata, claret
Hunc orbis caput esse diem, quem gloria regis
Nunc etiam proprii donans fulgore tropaei
Primatum retinere dedit. hoc luminis ortu
Virgo parens aliaeque simul cum munere matres
Messis aromaticae notum uenere gementes
Ad tumulum uacuumque uident iam corpore factum,
Sed plenum uirtute locum. nam missus ab astris
Angelus amoti residebat uertice saxi,
Flammeus aspectu, niueo praeclarus amictu.
Qui gemina specie terrorem et gaudia portans
Cunctaque dispensans, custodibus igne minaci
Venerat in forma, Christum quaerentibus alba.
Illae igitur Dominum calcata uiuere morte
Angelica didicere fide. perterritus autem
Miles in ancipiti retinet discrimine uitam,
Deserta statione fugax testisque timoris
Vera refert gratis; postquam data munera, fallit
Discipulumque globum placidi sub tempore somni
Clam sibi nocturna Christum abstraxisse rapina
Conpositus simulator ait. fare, inprobe custos,
Responde, scelerata cohors, si Christus, ut audes
Dicere, concluso furtim productus ab antro
Sopitos latuit, cuius iacet intus amictus?
Cuius ad exuuias sedet angelus? anne beati
Corporis ablator uelocius esse putauit
Soluere contectum quam deuectare ligatum?
Cum mora sit furtis contraria, cautius ergo
Cum Domino potuere magis sua lintea tolli.
Mentita est uox uana tibi. tamen ista figuram
Res habet egregiam: ludaeis constat ademptum
Quem nos deuoto portamus pectore Christum.
Plange sacerdotes perituros, plange ministros
1 Et populum, Iudaea, tuum pro talibus ausis.

Non tuba, non unctus, non iam tua uictima grata est.
Quaenam bella tibi clanget tuba, rege perempto?
Qui tuus unctus erit, quae uerum amiseris unctum?
Victima quae dabitur, cum uictima pastor habetur?
Discedat sygnagoga suo fuscata colore,
Ecclesiam Christus pulchro sibi iunxit amore.
Haec est conspicuo radians in honore Mariae,
Quae cum clarifico semper sit nomine mater,
Semper uirgo manet; huius se uisibus adstans
Luce palam Dominus prius obtulit, ut bona mater
Grandia diuulgans miracula, quae fuit olim
Aduenientis iter, haec sit redeuntis et index.
Mox aliis conuiua potens in fragmine panis
Agnitus enituit, quia uerus panis apertis
Semper adest oculis, fidei quos gratia claros
Efficit, ut Dominum uiuentem cernere possint.
Saepe dehinc proprios diuersi temporis horis
Discipulos manifestus adit uescentibus illis
Extemplo nunc ora ferens, nunc piscis obusti
Atque faui mandens epulas, quo rite doceret
Corporeas res esse dapes seseque uideri
In membris, quibus ante fuit. formidine rursus
Plebis apostaticae, Dominum quae caeca negasset,
Cum foribus clausis resideret turba fidelis,
Pace salutantis sese intulit atque foratas
Expediens palmas nudat latus. ast ibi Thomas,
Cui Didymo cognomen erat, cum fratribus una
Non fuerat dubiamque fidem sub corde gerebat,
Donec rursus eo pariter residente ueniret
Qui numquam subtractus erat. Tunc limine clauso
Constitit in medio, non indignatus apertum
Discipulo monstrare latus tactuque probari
Vulneris et mentem patienter ferre labantis:
Agnitus hinc potius, quod sit dubitantis amicus.
Quisquis enim artifices caeca sub imagine fraudes
Instruit et uanas cupit exercere figuras,
Non uult agnosci, non uult sua facta requiri„
Vt lateat sub nube doli, nebulaque recludens
Omnia sollicitos odit simulator amicos.
Gnarus item Dominus Petro piscante per aequor
Cum sociis captum esse nihil dimittere lina
In dextras hortatur aquas. mox gurgite clauso

Pendula fluctiuagam traxerunt retia praedam,
Per typicam noscenda uiam: nam retia dignis
Lucida sunt praecepta Dei, quibus omnis in illa
Dextra parte manens concluditur ac simul ulnis
Fertur apostolicis Domini ad uestigia Christi.
Nec piscis prunaeque uacant et panis in uno
Discipulis inuenta loco. quisnam ambigat unam
His rebus constare fidem, quippe est aqua piscis,
Christus adest panis, sanctusque Spiritus ignis.
Hinc etenim abluimur, hoc pascimur, inde sacramur.
Tunc epulis praeceptor eos inuitat edendis
Alloquiis de more piis, mensamque petentes
Vnanimes nota Domini bonitate fruuntur
Et Christum sensere suum. modicoque paratu
Postquam uieta fames et surrexere relictis
Rite toris, an corde Petrus se diligat alto,
Explorat Dominus; Petrus annuit. ergo nitentes
Pastor amans augere greges operario in omni
Parte bono commendat oues, commendat et agnos.
Haec terno sermone monens, ut terna negantis
Culpa recens parili numero purgata maneret.
Inde sequenda docens, Pacem omnes, inquit, habete,
Pacem ferte meam, pacem portate quietam,
Pacem per populos monitis dispergite sanctis
Et mundum uacuate malis: gentesque uocari
Finibus e cunctis, latus qua tenditur orbis,
Iussis mando meis omnesque in fonte lauari.
Haec ubi dicta pio Dominus sermone peregit,
Bethaniae mox arua petit: coramque beatis
Qui tantum meruere uiris spectare triumphum,
Aetherias euectus abit sublimis in oras.
Et dextra sedet ipse Patris totumque gubernat
Iure suo, qui cuncta tenens excelsa uel ima,
Tartara post caelum penetrat, post tartara caelum.
Illi autem laetis cernentes uultibus altas
Ire super nubes Dominum tractusque coruscos
Vestigiis calcare suis ueneranter adorant
Sidereasque uias alacri sub corde reportant,
Quas cunctos doceant: testes nam iure fideles
Diuinae uirtutis erant, qui plura uidentes
Innumerabilium scripserunt pauca bonorum.
Nam si cuncta sacris uoluissent tradere chartis

Facta redemptoris, nec totus cingere mundus
Sufficeret densos per tanta uolumina libros.

Source. Latin text from the Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum (CSEL) collection of the Open Greek and Latin project (digital edition of ***Sedulii Opera omnia*** edited by Johann Huemer (Vienna, Gerold: 1885) Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum 10), encoded in EpiDoc TEI XML. Digitised and corrected by the Open Greek and Latin team (University of Leipzig and partners); the text is taken from the printed edition by OCR with correction, so some errors may remain. SermonIndex has only divided it into short sections for reading; the critical notes, margin notes and apparatus of the printed edition are not shown here but are kept in the XML download.

Licence. Creative Commons Attribution-ShareAlike 4.0 International (CC BY-SA 4.0). You may share and adapt this text if you credit the Open Greek and Latin project and release your version under the same licence.